



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

XXXIII. Henricus IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

## XXXII. Fridericus Secundus

hoc nomine.

*Est hunc non modicus in iure sequens Fridericus.*

Fuit Iurisperitus, inquit M. S. Codex. Eam ob causam à Bruschio *eximie doctus & sapientissimus* audit: ortus ex nobili familia de Parsberg. Sedit annos nouem, Mortuus anno M. CC. XLVI. IV. Kalend. Iulij. Habuit hic Fridericus cum Gebehardo Comite Hirsbergensi controuersias quasdam de Iurisdictione in ciuitate Eychstettensi, & de quorundam locorum redditibus & annuis uectigalibus. Quæ lis anno Domini M. CC. XLV. XV. Kalendas Augusti per varios arbitros ad hanc causam cognoscendam delectos, sopita est; tam Episcopo, quam Comite id, quod arbitri definierant laudantibus, comprobantibus, & proprijs sigilli auctoritate confirmantibus. Interfuit Concilio Moguntino, quod anno Christi M. CC. XLIII. sub Sigefrido, III. seu Iuniore Archiepiscopo, celebratum est; ibique priuilegia à S. Bonifacio Ecclesie Eystettensi concessa fortiter defendit; inter cetera etiam illud de primo loco post Archiepiscopum, ante omnes alios Suffraganeos, Episcopis Eystettensibus debito. De qua controuersia plura in obseruationibus.

## XXXIII. Henricus hoc nomi-

ne Quartus.

*Henricus morum flos labe carens vitiorum.*

Dictus de Wirtemberg, sedit annos XII. minus quatuor mensibus. Abiit ad superos anno M. CC. LIX. III. Idus Maij. Transtulit hic Episcopus Reliquias S. Willibaldi anno M. CC. LVI. De qua translatione, præter

Canis  
 Supponit in uero pondere  
 Refellitur oblique bo

præter illa, quæ Philippus memorat, hæc etiam ex codice manuscripto accipe.

Anno Domini M. CC. LVI. IV. Idus Iunij. S. Villibaldus cum temporibus multis & annis in crypta esset honorificè sarcophagatus, his verò temporibus personis religiosis & discretis sexus tam masculini, quam fœminini, sæpius per divinam visum est revelationem, quòd ab eo loco, in quo reconditus erat B. Villibaldus, deberet transferri, & in alio loco locari, propter quasdam enormitates, quæ à stultis ibidem sæpius attentari solebant. Super quo Dominus Episcopus, qui tunc Eystettensem sedem regēbat, & Prælati & Canonici eiusdem loci, sæpius consulti, à viris multum discretis ac religiosis, super tanto ac celebri negotio, magno præhabito consilio virorum religiosorum, quorum consilium in hoc resedit, ut de crypta tolleretur, & ad medium monasterij transferretur, & ibidē honorificè locaretur. Dominus verò Episcopus hoc consilium tam salubre, in honore S. Villibaldi per plures provincias indici fecit, & manifestari in octava Pentecostes eiusdem anni, tanti Confessoris translationem. Eodem verò termino anno videlicet Domini M. CC. LVI. IV. Idus Iunij, Dominus Episcopus Henricus dictus de VVirtenberck, eiusdē loci, qui erat tricesimus tertius à S. Villibaldo, nec non Dominus Syboto Episcopus Augustensis, uniuersis Prælati & Clericis Eystettensis diœcesis eis cooperantibus, lucescente die propter pressuram hominum hymnis & canticis, deuoto animo in cryptam cum cappis, infinitis q̄ luminibus ad sepulchrum Confessoris egregij processerunt, & ibidem inuentus vir Deo charus, de eodem loco, mœrore maximo & fletu, diuina gratia consentiente, & bona voluntate B. Villibaldi accedente, translatus est, & super altare maius in choro B. Mariæ Virginis, in sarcophago benè deaurato, ut à superuenientibus videri posset, & eis in salutem ea die positus est. Ea verò die, quia Dominica,

translatio per plures Prouincias erat manifestata, causa deuotionis Eystet multi confluxerunt. S. Valpurgis de Maynheim per conuentum eiusdem loci, & S. Confessor VVunebaldus, per Abbatem & conuentum eiusdem etiam loci, Eystet honorificè, & magna deuotione ob honorem B. VVillibaldi, ipsorum Germani, ut sua adessent translationi, cum magna multitudine hominum hymnis & canticis conuenerunt. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum, quod illa die bene habuit locum.

Haftenus Manuscriptus codex, ubi vides etiam Reliquias S. Walpurgis Monheimio, & lipfana S. Wunibaldi Heidenheimio, maioris celebratis ergo, adducta fuisse, illas sanctimonialibus Monheimensibus; ista Monachis Heidenheimensibus solenniter deductibus, non sine ingenti populorum accursu. Reuertet postea Codex, quæ in translatione Willibaldina Deus per sacras illas exuias patrarit; quorum pleraque iam à Philippo enumerata audiuimus. Addit.

Dies translationis S. VVillibaldi de crypta ad Monasterium semper in octaua Pentecostes in perpetuum in diocesi Eystettensi debet celebrari. Vnde fratres charissimi, in mente habere debetis gratiam, quam Dominus Deus ostēdit & concessit Ecclesia Eystettensi, in honorem eius genitricis & sancti VVillibaldi, & propter hoc gratias agatis nostro Redemptori die ac nocte. Acta sunt hæc post obitum S. VVillibaldi annis CCCC. LXXV. peractis; demum presatus Dominus Henricus Episcopus, post dictam translationem vixit annis tribus.

In Calendario Pontificalis hæc ad IV. Idus Iunii annotantur. Anno Domini M. CC. LVI. IV. Idus Iunii, S. VVillibaldus de crypta translatus est, & sub magna custodia habi-

habitus, & omni die Magnatibus terra & superuenientibus ostensus est, donec III. Idus Octobris in Monasterio sarcophagatus, (sepultus) est. Quare etiam ad XIII. diem Octobris hæc adscribuntur. S. Willibaldus anno M. CC. LV I. in Monasterio sarcophagatus est; & quidem in medio Monasterij, vt habet Relatio de Translatione S. Willibaldi. Per Monasterium autem intelligitur templum cathedrale seu primarium. Nam quæ nunc cathedrales Ecclesiæ dicuntur, olim Monasteria vocabantur. Hinc Germanis Münster, vt iam alibi diximus.

## XXXIV. Engelhardus.

*Est Engelhardus rectis celer, ad mala tardus.*

Hic Chorū S. Villibaldi construere aggressus est, in honorē eiusdem S. Willibaldi, sed non compleuit, quia solum sedit in Episcopatu per duos annos, vt ait Relatio de Translatione S. Willibaldi; subscriptio imaginis addit: Minus vno mense. Mortuus in Concilio Moguntino, anno Virginæ partus M. CC. LXI. cui Synodo præfedit Wernerus Archiepiscopus Moguntinus. Vide Serarium, lib. I. Mogunt. rerum cap. 33.

## XXXV. Hiltbrandus.

*Cunctis Hiltbrandus gratus fuit & venerandus.*

Fuit de Mern, libera conditionis, inquit M. S. Codex, qui chorum occidentalem seu S. Villibaldi compleuit, & in eo duos Capellanos instituit. & completo eodem choro, S. Villibaldum III. Idus Octobris transtulit, magna cum solennitate, & in supremo altaris maioris eiusdem chori, S. Villibaldum inclusit, & chorū S. Villibaldi ordinavit in perpetuum nominari, vbi diuina clementia per ipsum multa quotidie miracula operatur. Vide Philippum in S. Willibaldi vita. Inter-  
fuit